Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2253
Quelle:
Copyright:

ſunt, quae hic habentur, ex illo Tractatu, qui in Edit. *Maur. Opp. Bernardi* T. V. *Pariſ.* 1690. *col.* 373. inſcribitur *de Ordine Vitae et Morum Inſtitutione*, diciturque non ad *Bernardum*, ſed ad Monachum quendam *Benedictinum* pertinere, argumento ſumto e C. V. n. 16. ubi legitur: *Sanctus Pater noſter Benedictus de ea* (obedientia) *tam terribiliter locutus eſt, ut fratrum etiam bene obedientium corda prae nimio timore concuti valeant.* Verum Noſter habet: *Pater Benedictus* et *ferrea inobedientium corda.* Ad calcem rubro: *Explicit tractatus — anno domini milleſimo quadringenteſimo XI°. feria II. in die Margarethe.*

XI. *fol.* 162. p. 2. *Incipit prephacio beati bernhardi abbatis in epiſtolam ad fratres Cartuſien.* Epiſtola haec ad *Haimonem* Priorem et Fratres Carthuſiae *Montis Dei* exarata ad *Wilhelmum S. Theodorici* prope *Rhemos* Abbatem pertinet, ut egregie docetur in *Admonit.* praevia edit. *cit. col.* 195. In *Cod.* porro noſtro, quae *Prefatio* dicitur, incondita quaedam lacinia eſt incipiens: *Miſerator et miſericors dominus de uia plene miſerie* &c. et de *virga miſeracionis, directionis, vigilacionis, conſeruacionis* aliquamdiu argutiens. Ignorarunt hanc Editores, apud quos, ut in *Cod.* Praefatio incipit: *Paene impudenter et plusquam decebat* &c. Ab hac Praefatione in *Cod.* abeſt, quidquid *Wilhelmus* de ſuis commemorat Opuſculis; imo ipſa *Epiſtola* jam c. 2. definit in illis verbis: *Sed omnipotens et bonus eſt Deus qui in vobis eſt*, quae ſic detorquentur: *et ſit benedictus Deus in principio omnino et in fine Amen.*

XII. *fol.* 164. p. 2. poſt brevem Relationem, quid *de Aſſumpcione ſancte Marie dicant* Novem Angelorum Chori ſequitur *Epitafium beati Bernhardi abbatis* a *Morando Cluniac.* ut fertur, διαλογικως compoſitum, quod in Edit. *Opp. Omn. ſuprac.* non repertum hic adpono:

Mira loquar ſed digna fide, bernharde, quid eſt hoc.
Viuis adhuc. viuo. *non es rogo mortuus.* ymo.
Et quid agis. requieſco. *taces an faris.* vtrumque.
Cur retices. quia dormio. *cur loqueris.* quia viuo.
Quid loqueris. ſacra miſtica. *cui.* mea ſcripta legenti.
Non cunctis. non. *ergo quibus.* qui celica querunt.
Nomen habes. vtique bernhardus. *num ſine cauſa.*
Non. *dic ergo quid eſt hoc Bernhardus.* bona nardus.
Cur nardus. quia fragro. *quo fragramine.* dulci.
Cui fragras et vbi. lectori, codice ſacro.
Num cognomen habes. de clara valle. *manes hic.*
Manſi ſed modo non. *vbi nunc.* in vertice montis.
Qualis eras in valle manens. humilis. *modo quantus.*